



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXXVI. Vtrum Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium neceßitate
medij?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

tem sunt Sacerdotes comparatione Dei offensi, vt infra dicitur.

Ad 6. Peccatum originale, & personale sunt longè diuersæ rationis. Oportuit proinde, vt diuersa pro vtriusque remedia instituerentur. Peccata namque personalia superueniunt, & de nouo alia, atque alia post demissionem eorum. Præterea committuntur ab vnoquoque per errorem proprii intellectus, atque per deuiationem propriæ voluntatis. Ac demum sunt occulta ex sua natura, saltem vt plurimum, aliis quam committenti ipsi. Ob hæc igitur oportuit, vt in illorum remedium institueretur Sacramentum, quod, & iterabile esset, & exigeret motum liberum peccatoris à peccato ad Deum, & interponeret iudicium, ac directionem Sacerdotis, cui ad hunc finem innotesceret per confessionem status, & indigentia pœnitentis, quale Sacramentum est Pœnitentia. Baptismus verò principaliter institutus in remedium originalis peccati, est diuersa quoad omnia conditionis, quia peccatum originale habet proportionalem quoad eadem diuersitatem, à peccato personali.

QVÆSTIO LXXXVI.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium necessitate mediij?

Videtur non ita esse necessarium. 1. Quia id est necessarium necessitate mediij, sine quo non potest haberi finis, vtunque contingat illud abesse. Finis autem hominis potest haberi absque isto Sacramento, per contritionem, etiam post lapsum subsecutum ad Baptismum, præsertim si desit copia Confessionis. Ergo non solum iis, qui nunquam amiserunt gratiam Baptismalem, sed neque etiam lapsis post Baptismum est necessarium istud Sacramentum necessitate mediij.

2. Contritio perfecta non est necessaria ad salutem necessitate mediij, vt est in confessio apud omnes, idque præcisè; quia potest suppleri per Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione imperfecta, seu cum attritione. Perinde autem est supplebile Sacramentum per contritionem perfectam. Quæ videlicet inducit sufficienter se sola effectum principalem Sacramenti. Neutrius igitur necessitas potest esse maior, quam alterius.

3. Institutio huius Sacramenti non erat necessaria ad salutem necessitate mediij; quandoquidem poterat Deus pluribus aliis modis providere sufficienter de conuenienti remedio. De quo nemo est qui dubitet. Ergo nec ipsum Sacramentum est taliter necessarium ad salutem. Patet consequentia, quia existentia alicuius remedij non potest augere necessitatem eius, nec est possibile; vt sit necessarius vsus rei, quæ vt existeret, necessarium non erat, aut non erat vsque adeo necessarium. Ne nimirum dicatur magis esse necessarium consequens, quam antecedens. Quod est patenter absurdum.

4. Necessitas mediij, neque conuenit huic Sacramento ex natura rei, neque ex libera dispositione, & lege Dei. Non ex natura rei, quia potuit institui hoc Sacramentum, tanquam medium præcisè vtile ad salutem, quod ita prodesset potentibus, & volentibus vti, vt tamen nihil deesset necessarium nolentibus, aut non volentibus vti. Hoc videlicet modo instituta sunt etiam de facto plura Sacramenta, nempe omnia præter Baptismum. Sed neque ex libera dispositione, ac lege Dei descendit eiusmodi necessitas. Quia de his, quæ pendent ex libera Dei dispositione, nihil sciri potest nisi per reuelationem ipsius. Nulla autem extat

reuelatio, quæ nos implicite vel explicite doceat de tali huius Sacramenti necessitate. Quia præcipua, & cæteris clarior, circa ipsum, reuelatio habetur in verbis paulo superius indicatis ex cap. 20. Ioan. atque ibi sola declaratur institutio huius Sacramenti, quam fieri absolute potuisse seclusa ea eiusdem Sacramenti necessitate, de qua disputatur, nuper tanquam omnino certum meritò suppositum est.

5. Priuilegium, & fauor specialis non debet nocere priuilegiato. Sacramentum autem Pœnitentiæ est priuilegium, & fauor specialis noui testamenti; Idemque nihilominus noceret Christianis, si saltem pro casu impotentiae confitendi non possent licitè, & validè vti remedio legis naturæ, & veteris testamenti ad deletionem peccatorum personalium. Quæ vtique deleri tunc poterant absque viti omnino dependentia ab hoc Sacramento; essentque propterea deterioris conditionis Christiani si iustificari nullatenus possent pro villo euentu independenter ab eodem.

Art. 1. Respondetur. Necessitas mediij differt à necessitate solius præcepti, quatenus si inculpabiliter deficiat, quod est necessarium, ex solo præcepto ad finem vitæ æternæ, non propterea impeditur consecutio finis. At si desit, quod est necessarium necessitate mediij, eo ipso impeditur consecutio finis, siue culpabiliter, siue inculpabiliter illud defecerit. Vnde auditio sacri in die festo, ieiunium quadragesimale, & similia sunt necessaria, necessitate solius præcepti, ad consecutionem vitæ æternæ. Quia si inculpabiliter omittantur, non propterea amittitur vitæ æterna. Baptismus verò respectu existentis in peccato originali, & contritio respectu adulti existentis in peccato quouis lethali, & si quæ sunt similia, sunt necessaria necessitate mediij. Quia fieri potest, vt propter solum eorum defectum etiam inculpabilem amittatur vitæ æterna. Cum ista ratione discriminis coincidit hæc alia. Id nimirum esse necessarium, sola necessitate præcepti ad vitam æternam, quod necesse est, seu facere, seu omittere præcisè ad vitandum peccatum lethale de nouo. Id verò esse necessarium necessitate mediij ad vitam æternam, quod est necessarium ad delendum peccatum lethale præexistens, & ad habendam primam gratiam; seu sine quo, non potest, aut haberi prima gratia, aut deleri peccatum lethale præexistens.

Art. 2. Sacramentum autem pœnitentiæ est necessarium ad delendum peccatum præexistens, & fieri potest, vt eodem Sacramento inculpabiliter deficiente, impediatur quis à consecutione vitæ æternæ, quam obtenturus fuisset superaddito solo Sacramento ultra cætera, quæ sibi iam inerant. Nam si quis existens in peccato lethali & verè æstutus, atque efficaciter volens confiteri, sed non habens copiam Confessionis, ideoque inculpabiliter carens hoc Sacramento, moriatur in eo statu; proculdubio damnabitur. Et tamen saluandus fuisset, si potuisset confiteri, atque de facto obtinuisset absolutionem sacramentalem. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, est necessarium ad vitam æternam necessitate mediij iis, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum lethale sicut, est necessarium Sacramentum ipsum baptismi nondum regeneratis, vt habetur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. sine. Quæ de causa Sacramentum hoc dicitur ab eodem Concilio secunda tabula post naufragium.

Art. 3. Verum necessitas mediij potest esse, vel omnino determinata, vel indeterminata, ac disiunctiua. Determinata, si medium sit vnicum, & insupplebile. Indeterminata verò, ac disiunctiua, si medium non sit vnicum, possitque suppleri per aliquid aliud. Potest autem suppleri Sacramentum Pœnitentiæ, prout in re susceptum, per actum charitatis; seu perfectè contritum

contritionis. Non igitur est necessarium omnino determinatè, ac vnice prout susceptum in re, sed disiunctiue ac vage. Inquam verò prout susceptum in re; quia istud Sacramentum esse determinatè necessarium necessitate mediij, vel in re, vel in voto, omnibus post Baptismum lapsis communis, & certa Theologorum omnium sententia est apud Suarez disputat. 17. sect. 3. & apud alios in præsentia. Dicitur verò Sacramentum in voto, voluntas, seu propositum efficax suscipiendi illud re ipsa suo tempore; supplens interim, se ipso formaliter defectum susceptionis realis.

Art. 4. An voluntas ista, seu propositum debeat esse explicitum, & formale, an verò sufficiat implicitum, & virtuale. Communis, & vera Theologorum sententia est, apud Suarez ibidem sect. 4. aduersus Melchiorum Canum, sufficere implicitum, & virtuale. Quia elici absolute potest à peccatore supernaturalis dilectio Dei super omnia, absque formali, & explicito proposito suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Fieri namque absolute potest, vel eliciatur absque actuali aduertentia, vel ad præterita peccata, vel ad Sacramentum, vel etiam ad vtrumque. Fieri autem non potest, saltem iuxta prouidentiam ordinatam Dei, vt quis eliciat veram supernaturalem dilectionem Dei super omnia, simulque non consequatur remissionem peccatorum, nec non, & vitam æternam si decedat absque nouo peccato, vt liquet ex pluribus testimoniis, productis, licet in alium scopum, q. 12. de iustitia. Sufficit ergo votum implicitum, & virtuale Sacramenti pro tempore suscipiendi.

Art. 5. Dilectio autem Dei super omnia &, contritio perfecta per se ipsam formaliter est votum, seu propositum saltem implicitum exhibendi cætera omnia quæ cadunt sub lege, non minus, aliter, quam suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ re ipsa pro eo tempore, pro quo eadem lex præcipit, vt suscipiatur re ipsa. Dicitur nihilominus communiter eadem dilectio, & vere est Sacramentum Pœnitentiæ in voto potius, quam Sacramentum Eucharistiæ in voto, aut opus restitutionis in voto, & quam alia eiusmodi. Ratio discriminis est; quia Dilectio Dei super omnia essentialiter est idonea ad constituendum intrinsecè Sacramentum Pœnitentiæ tanquam pars essentialis ipsius; & supposita institutione Diuina, quæ datur de facto, est ordinata extrinsecè ad idem Sacramentum intrinsecè constituendum; ac demum vi sua inducit pro tempore reliquas partes necessarias, vt illud actu constituat, & compleat intrinsecè. Hæc autem ipsa nequaquam illi conueniunt respectu Eucharistiæ, aut aliorum operum præceptorum, quorum votum, seu voluntatem efficacem continet in se. Vnde non subit eorum nomen, cum hoc addito: *in voto*; sicut subit nomen Sacramenti Pœnitentiæ in voto. Quia videlicet non potest esse, & intrinsecè constituere re ipsa alia Sacramenta, & opera, sicut potest esse, & intrinsecè constituere Sacramentum Pœnitentiæ. Nequit autem illi conuenire, vt sit id in voto, saltem per se, quod vt sit re ipsa, nequit vnquam eidem conuenire, sicut potest conuenire, vt sit id in voto, quod, & re ipsa esse potest, atque necesse est ex natura, & intrinsecè conceptu ipsius, vt sit, cum primum data fuerit possibilitas, & opportunitas cæterorum, quæ adhuc desunt. Itaque hoc Sacramentum est necessarium necessitate mediij ad vitam æternam, indeterminatè quidem prout in re, determinatè vero vel in re, vel in voto; determinatione vtrique cadente supra Sacramentum, disiunctiue verò supra modum Sacramenti, vt mox dicetur distinctius in responsione ad 2. & apparebit multo clarius, ex quæst. proximè seq.

Ad 1. Dictum in primis est, absque isto Sacra-

mento, vel in re, vel in voto; non posse obtineri finem suum vltimum ab homine lapso post Baptismum. Deinde non solum id absolute dicitur esse necessarium, sine quo determinatè sumpto non potest obtineri finis, sed etiam id sine quo saltem sumpto disiunctiue, non potest obtineri idem finis. Sacramentum autem Pœnitentiæ, etiam prout in re est medium sine quo saltem sumpto disiunctiue non potest haberi finis vltimus ab homine baptizato, & deinde lapso in peccatum lethale.

Ad 2. Hoc est discrimen inter contritionem perfectam, & Sacramentum Pœnitentiæ. Quod habita contritione perfecta, superest adhuc obligatio suscipiendi Sacramentum pro tempore; atque ipsa contritio est pars potentialis eiusdem Sacramenti. At suscepto pro re Sacramento cum contritione imperfecta, seu cum attritione, nulla superest obligatio contritionis perfectæ postea superaddendæ, ac proinde Sacramentum non est votum contritionis perfectæ, neque est pars ordinata ad ipsam contritionem, quæ propter contritio perfectam, nec in re, nec in voto est determinatè necessaria ad salutem, sed purè indeterminatè. At Sacramentum, vel in re, vel in voto est determinatè necessarium, & solum prout in re est necessarium indeterminatè. Ipsum porro Sacramentum, prout in voto non dicitur similiter necessarium indeterminatè, ac vage. Quia votum huius Sacramenti, seu voluntas suscipiendi illud re ipsa, includitur essentialiter in ipso Sacramento, etiam prout suscepto re ipsa, ideoque nullus eiusmodi indeterminati superest locus circa Sacramentum; vt in voto, nisi fortè eadem indeterminatio applicetur, vt absolute licet, Sacramento prout in voto tantum. Qui tamen modus loquendi non est in vsu.

Ad 3. In iis mediis, quæ sunt necessaria ex natura rei, seu iure naturæ, non potest esse maior necessitas illis vtendi, quam vt eadem existant. At in iis, quæ sunt necessaria solum ex suppositione Diuinæ voluntatis liberè præscribentis aliquid in ordine ad aliquem finem, vsus mediij potest esse magis necessarius supposita existentia eius, quam esset necessaria absolute existentia eiusdem. De qua mediocritate dictum est explicatius quæstione 20. de act. human. articulo 2. & 3. Necessitas autem determinata Sacramenti Pœnitentiæ fundatur in voluntate Diuinæ liberè illud instituentem, atque ordinantem ad finem vitæ æternæ, vt dicitur in quæstione proximè seq.

Ad 4. Concessis reliquis negatur, solam innocentescere, ex capite illo 20. Ioann. institutionem, & vtilitatem huius Sacramenti, & non etiam totam necessitatem superius assertam eiusdem suscipiendi post lapsum subsecutum ad Baptismum. Vtrumque enim inde colligitur sufficienter, vt patebit ex eadem quæst. seq.

Artic. 1. Ad 5. Auctor obiectionis; cuius honori consultitur, dum nomen tacetur, turpiter confundit priuilegium cum gratia, & fauore non eximente à lege; & rursus gratiam, & fauorem vniuersalem cum particulari; ac demum gratiam, & fauorem conferentem ad finem necessarium ex natura rei cum eo, qui confert ad finem non necessarium ex natura rei, ideoque dispensabilem. Primum enim, quæ concessit Christus Dominus in nouo testamento, non sunt priuilegia comparatione veteris legis. Quæ videlicet illocondito, expirauit, nullumque est priuilegium eximens à lege, quæ penitus non iam viget. Rursus Sacramenta, & quæ cum Sacramentis conuertuntur, sunt quidem gratiosa, ac purè liberaliter supererogata, sed communia toti humano generi; cum de ratione priuilegij sit, vt eximat aliquem, vel aliquos ab onere communi. Demum, quod caput est, eadem

dem Sacramenta conferunt potestatem obtinendi beatitudinem, quæ est finis omnibus necessarius ex natura rei, ideoque præscribit omnibus, ex natura rei, vsum eorum omnium, sine quibus obtineri non potest cum sit de ratione priuilegij quantum est ex natura ipsius, posse non vti.

Art. 2. Præterea atque hoc est præ cæteris considerandum, quod omni tempore fuit necessarium necessitate medijs, delere per pœnitentiam peccata eius commissa, atque nostrum Christianorum quæsi priuilegium est, vt deletionem eorum consequi possimus ex opere operato cum contritione etiam imperfecta, atque insufficienti, ex se, ad inducendam iustificationem; tametsi eadem iustificatio induci nequaquam posset, nisi per contritionem perfectam, ante nouum testamentum, & ante institutionem Sacramentorum, quæ sunt propria eiusdem Testamenti. Quapropter onus confessionis sacramentalis, quod iustissima æquitatis ratione est vnicuique peccatori grauius, vel leuius iuxta mensuram maioris, vel minoris improbitatis suæ, superatur incomparabiliter fauore, & gratia contenta in eodem pœnitentiæ Sacramento; ita vt onus istud speciale noui testamenti cedat, & quidem per excessum incomparabilem, gratiæ huic, & fauori speciali eiusdem noui testamenti quatenus inducentis idem Sacramentum, simulque proinde Christiani conditionis longè melioris quoad hoc punctum, quam omnes anteriores homines, quidquid sit, siue de re, siue de nomine priuilegij, vel non priuilegij, tametsi Sacramentum Pœnitentiæ sit nobis necessarium determinatè modo dicto.

QVÆSTIO LXXXVII.

Verum Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto sit necessarium necessitate præcepti obligantis statim post peccatum lethale?

Videtur ita esse necessarium. 1. Quia, qui intulit iniuriam proximo, tenetur restituere, cum primum fieri potest, vt dictum est quæstione 39. de iustit. Ergo qui intulit iniuriam Deo, vt infert, quicumque peccat, à fortiori tenetur restituere, seu quod perinde est satisfacere Deo; ac proinde vel confiteri, vel conteri perfectè, cum primum potest. Potest autem saltem conteri pro instanti immediato post peccatum? Ergo pro eodem tenetur protinus, vel confiteri, vel conteri perfectè.

2. Non est maius malum committere peccatum, quam perseuerare in peccato commisso. Quia perseuerantia cuiusque mali, est æquè mala, ac nociua, atque est existentia eius absoluta, prout apparet proportionaliter in perseuerantia, & existentia cuiusque boni, & ratio manifesta persuadet, quatenus perseuerantia, & prima existentia mali priuant vni-formiter eodem bono. Ergo sicut pro quouis instanti est intrinsecè malum peccare, & velle peccare; ita pro quouis instanti est intrinsecè malum perseuerare, & velle perseuerare in peccato commisso. Omis-sio autem contritionis simul, & confessionis, pro quouis instanti post peccatum est perseuerantia, & voluntas perseuerandi in peccato commisso.

3. Quod non est necessarium pro vna aliqua differentia temporis, pro nulla prorsus est necessarium, vbi diuturnitas temporis nullam vnquam inducit variationem in rebus. In peccato autem semel commisso nullam vnquam inducit variationem quanta-

cunque diuturnitas temporis. Quia peccatum ex sua natura est malum vni-formiter æternum. Ergo si deletio peccati commissi posset inculpabiliter prætermitti, aut differri pro aliquo instanti, vel tempore; posset vtique inculpabiliter prætermitti absolute, & absque villo limite. Quæ tamen sequela communiter, & meritò reputatur absurda.

4. Qui amisit habitum fidei per infidelitatem, tenetur quam primum, deposita infidelitate, & elicto actu fidei, eundem habitum recuperare. Ergo qui per peccatum lethale, amisit gratiam habitua-lem; quæ est maius bonum, quam habitus fidei, tenetur à fortiori illam, quam primum fieri potest, recuperare per contritionem, vel confessionem. Eodem pertinent paritates ex obligatione quam primum adhibendi remedium cuiuslibet graui malo proprii corporis, & vitæ temporalis, nec non adhibendi correctionem fraternam pro vitando malo graui proximi quoad animam, & pro eodem reuocando à malo proposito. Maius nimirum malum est, quod est proprium animæ; & vnusquisque tenetur ex Charitate sibi potius prouidere, quam aliis, si cætera sint paria.

5. Qui perseuerat diu in peccato, constituitur eo ipso in periculo peccandi de nouo: iuxta illud Greg. in Ezech. Homil. 11. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Constituitur etiam in periculo damnationis æternæ, superueniente interim morte cuius hora est incerta, iuxta illud Isaia 65. 12. *Omnes in cade corrupti pro eo, quod vocaui; & non respondistis,* & Hieremia 8. 6. *Nullus est, qui agat pœnitentiam idcirco cadent.* Peccat autem, qui se constituit, aut etiam derelinquit in periculo, tum peccandi de nouo, tum incidendi in damnationem æternam.

Art. 1. Respondetur, quidquid est necessarium necessitate medijs ad consecutionem vitæ æternæ, eo ipso est necessarium necessitate etiam præcepti. Quia ipsa consecutio vitæ æternæ est necessaria necessitate præcepti iuxta illud 1. ad Corinth. 9. 24. *Sic currite vt comprehendatis.* Quidquid autem est necessarium ad aliquid præceptum, eo ipso cadit sub idem præceptum, estque proinde necessarium necessitate eiusdem, vt minimum præcepti; dummodo sit constitutum in libera facultate obligati per tale præceptum. Deinde vnus modus præcipiendi aliquid in conscientia est illud constituere in ratione necessarii ad vltimum finem, itavt iactura vltimi finis consequatur ad actionem, vel omissionem, quæ fuerit contraria præcepto, prout ostensum est quæst. 20. de act. hum. art. 4. Constat autem ex quæst. præcedenti Sacramentum pœnitentiæ esse necessarium necessitate medijs ad vitam æternam, indeterminatè quidem, prout in re; determinatè verò, prout in re, vel in voto. Dubitari igitur minimè potest, quin idem Sacramentum eodem vt minimum modo, sit necessarium necessitate præcepti.

Art. 2. Verum quia prædicta necessitas huius Sacramenti prout in voto, fundatur in præcepto suscipiendi re ipsa idem Sacramentum tempore opportuno; neque potest in actu contritionis perfectè contineri propositum, seu votum realis susceptionis pro tempore, nisi quatenus extat præceptum de eadem reali susceptione; atque actus perfectæ contritionis continet in se propositum, seu votum de obseruantia totius legis, omniumque præceptorum. Quia inquam hæc ita se habent, oportet ostendere seorsim existentiam talis præcepti obligantis ad realem susceptionem huius Sacramenti. Vt nimirum vitetur circulus vitiosus inter doctrinam quæst. præcedentis, & præsentem inde deductam modo conclusionem. Porro circa hoc punctum, duo docemur à Concil. Tridentino